

1601 pus conditum fuerat, peristromate cooperirent; ejus anniversario die lugubria solemnia pro defunctis minime celebarentur; verum, pullo amictu in album mutato, statis Confessorum diebus fieri solita missarum solemnia de more peragerentur: uti Caroli cognatorum, magistratum, totiusque confluentis urbis interventu effectum est. Ejus rei uberrimas Senatus Mediolanensis Patribus literas misit, Carolique Borromaei, Cardinalis, in Rempublicam benevolentiam ac studium commemoravit.

M. DC. II.

1602 Jam triennium ille, quem Sebastianum Lusitaniae Regem ementitum fuisse diximus, carcere detinebatur: nulla enim re magis audacia ac præfracta viri frons coerceri posse videbatur, cum volubilitate gentis in Lusitania ii affugerent tumultus, ut novandarum rerum cupidi, duces nacti, ingentes motus res eruptura fuisset. Lusitani etenim extores, Galliarum Regem, Anglam, Batavosque solicabant: ab Henrico duo bellatorum millia, Principum vel procerum Galliae auspiciis decertaturi, postulabant, armaque occulte per Lusitaniam dispergerent, efflagitabant; primo quoque strepitu incolas insurrecturos jaetitabant: ab Elisabetha, ac Batavis pecuniam annonamque sibi affatim suffectura pollicebantur; quia Principes Philippo infensi occasionem omnem, qua res Hispanica turbari posset, arripere non verebantur. Verum Henricus, ut tandem id mendacium discuteretur, per Fraxineum legatum a Patribus petit: de nexo sententiam ferant, neque diutius errare Lusitanos sinant. Re ad Senatum delata, Senatus consulto intra octiduum Venetis omnibus ditionibus abire jussus; si contra faciat, perpetuo triremibus addiceretur. Ille, derafo capite, mutato, ne agnosceretur, amictu, in Hetrufiam divertit: poscenti Philippo a Ferdinando Magno Duce traditus, Neapolim perductus, ad transtra ablegatur. Ibi fassum ferunt, se ex Siciliæ civitate Taberna ortum, Marci Tullai Casiozonii nomen fortitum, atque inde in Hispaniam trans-

*Fraxineus  
orator a Se-  
natu petit,  
ut de Seba-  
stiano Lu-  
siano sen-  
tentiam  
proferat.  
Sebastianus  
Lusitanos a  
Venetis di-  
tionibus  
ejicit, ab  
Hetruria  
Duce Hi-  
spaniis tra-  
ditur.*